

Q. F. S. F. Q.
DISSERTATIO ACADEMICA
DE
METHODO
DOCENDI
DIALOGISTICA.

CUJUS PARTEM POSTERIOREM,
SUFFRAG. AMPLISS. FACULT. PHILOSOPH. IN
REG. ACAD. ABOËNSI,
PUBLICAE VENTILANDAM SISTUNT
AUCTOR
*JOHANNES HENRICUS
CYGNÆUS,*

ET
RESPONDENS
AXELIUS FRED. LAURELL,

Stipend. Regius. Wiburgensis.
IN AUDITORIO MINORI DIE IX. DECEMBRIS
ANNO MDCCLXXXVI.
H. A. M. C.

A B O Æ,
IMPRESSIT REG. ACAD. TYPOG. JOH. C. FRENCKELL.

À
MONSIEUR
LE BARON
*RABBE GOTTLIEB
WREDE,*

SEIGNEUR D' *Anjala* & De *Willickala,*

MONSIEUR!

*Comblé de Vos bienfaits, c' est avec empressement que je
saisis l' occasion de VOUS en temoigner la plus vive re-
connoissance; heureux, si par ce sentiment, si cher à mon
coeur, & par le zele le plus pur, je pourrai à l' avenir
mériter l' honneur de VOTRE protection! Je suis avec le
respect le plus parfait, jusqu' au dernier soupir de ma vie,*

MONSIEUR!

*Votre Très humble & Très
obeissant serviteur,*

JEAN HENRY CYGNÆUS.



§. VI.

Universam Methodi Dialogificæ indolem, eamque, qua ad egregiam in hoc genere laudem eatur, viam, breviter in parte opusculi priore explicuimus; sequitur, ut ad specialiores jam præceptionem progredientes, præcipua ejus, quæ constituimus, genera, definito supra ordine, propius spectemus. Ex ipso itaque, quem indicavimus, hujus Methodi adhibendæ fine, *populo* præprimis, qui in interioribus non versatur litteris, ac maxime parti illius *bonestiori* ac *cultiori* (ei quem *le beau monde* non incommode Galli dicunt), natam eam factamque esse, facile intelligitur; unde illud, quo hujusmodi præcipue hominum usibus consulitur, Dialogi Philosophici genus, quodque illi ad delectandum imprimis comparato proxime cognatum est, unum maxime laudari docuimus (a). Hujus autem rationis, ut ex ea una re laudem omnem pendere significavimus si partim rerum pondere & utilitate, partim dicendi calliditate & ornandi ubertate atque elegantia, laboris tædio dispulso, lectores acri discendi studio inflammare scriptor valeat, præceptorumque fructum jucunditate orationis condire (b); ita subtilitati, frigori, severitati & apparatusi præsertim tecnico sermonis philosophici, veniam locumque denegavimus (c).

D

Quæ

(a). P. Pr. §. II.

(b). §. III. p. 10. §. IV. p. 13. 14. 17. 18.

(c). §. III. p. 7. 8. 9. 12. §. IV. p. 18. 19. Cfr. §. II. p. 4. 5. ubi de



Quæ vero in his Dialogis, ad cultioris præcipue populi usum compositis, sequendæ sint leges, eas multis non attinet & sigillatim persequi; quod quæ in universum monuimus, ad hanc præcipue rationem, cum quoad *materia- rum* deligendarum curam (*d*), tum quoad *formæ* & instituendi Dialogi diligentiam (*e*), facile applicari possint. Exempla vero quædam allata, præceptionem nostram illustrabunt. CICERONIS igitur aliquos huc pertinere Dialogos, quæ supra dicta sunt, docent (*f*). In hoc autem præcipiente & philosophicas tractante res, concinnam licet interdum brevitatem, interdum copiam, elegantiam & nescio quam delicatam rationem, acutioribus hominibus gratissimam, quin Dialogi quoque adornandi nonnunquam artem præclaram (*g*), miremur; tantum tamen, (pace tanti nominis dixerim), ejus auctoritas non valet, ut ea facti, sensui aut gustui vim inferamus, quos quidem aridiora nonnulla, forma & disserendi methodus apparatus atque ordini severioris disputationis Philosophicæ similior, in colloquiis suis nonnunquam offendunt (*h*); ad mox tangendum, quam ad hoc genus Dia-
lo-

cientia & in rebus tractandis, & in ordine atque stilo, moris philosophici severitate disputavimus.

(*d*). L. c. p. 8. 12. 5. 13.

(*e*). Cfr. dicta §. IV.

(*f*). Vide notam (*g*) calci §. III. adjectam.

(*g*). Vid. ex. gr. *Tusc. Quest.* Libr. I. Capita 5 -- 9. *Cato Major* J. de *Senect.* Cap. 2. 3. maximeque de *Orat.* L. I. Cap. 22 -- 26. egregia sane Dialogicæ artis indicia.

(*h*). Cfr. quæ supra dicta sunt, p. 15. not. (*b*), p. 18. not. (*f*). Cum quibus contendere meretur Celeberr. DAVID HUME, *Essays and Treatises on several Subjects* Vol. IV. Section VIII. *Of Qualities Immediately agreeable to Others*, p. 159. 160. 161. Nam quæ ibi de his rebus quæ in vita, (cujus exemplar, in Dialogo adornando sollicite respiciendum esse diximus), probentur, præclare differuntur, etiam ad hanc

logi potius referendis. Hujus quoque instituti & rationis, (ut de quibusdam PLATONIS Dialogis nihil dicam, non omnino ab hoc genere sejungendis), AESCHINI Socratici Tres Dialogi sunt, in quibus, præter rerum gravitatem, cum orationis insignis suavitas atque simplex habitus, tum obvia etiam indoctis hominibus ac facilis argumentandi forma, mihi quidem judici non parum placet (i). Inter eos autem scriptores, qui recentiori ævo hanc rationem tentarunt, agmen ducit celebre in quovis fere descriptionis genere, & in Dialogo præsertim construendo, FONTENELLII nomen. Non jam *Dialogos* suos *Mortuorum*, quorum quidem in ingenio acuminis-

D 2

que

præceptionem accommodari possunt. Non id fere agit CICERO, ut systema quoddam congerat, sed ut sparsas veritates graves inculcet; cujus instituti sunt *Tusculanae Quaestiones*, *Cato Major s. de Senectute*, *Laelius s. de Amicitia*, *de Legibus*, aliquam partem, Libri, vel ideo vividiores & gratiores, quod in iis non narretur, sed agi res, atque tanquam a præsentibus coram sermo haberi, videatur, (quod & ipsum sensisse CICERONEM constat ex *Laelio* C. I. cfr. *Tusc. Quæst.* Cap. 4. in fine); ut proinde felicissimus in eo Dialogi usus esse potuerit: sed sunt & in operibus ejus, utut Dialogistico more concinnatis, integræ nonnunquam artis præcepta, ut in libris *de Oratore*, & *de Republica* (quos perditos esse merito dolent eruditi).

(i). Antecellit ceteris arte Dialogistica, ut videtur, Dialogus II. (*περι πλουτου*) v. e. g. c. I. seq. 3. seqq. 12. 14. seqq. 23. seqq. In I. (*περι αρετης*), minus placent querendi partes, *Socrati* per omnem fere Dialogum mandata. Inustum his est genus differendi, quod descripsimus, *Socraticum*; (v. e. g. *περι αρετης*, c. I. seqq. 10. seqq. *περι πλουτου* c. 3. seqq. 14. seqq. 24. seqq. 31. seqq.); in III. vero, (*περι θανατου*), disputatio a *Socratica* ratione remotior, atque quam in ceteris quietior & languidior est, sed & ipsa, rei temporisque rationi accommodata, & exordium aptum ac elegans, (C. I -- 3.), & de rerum humanarum inconstantia, optandaque adeo morte, perpulcri *Socratis* sermones, (v. e. g. c. 4. 5. 7. -- 12, 16. 17.)



que gloria, vis omnis sita est, sed *philosophicum* loquimur, de *Pluritate Mundi* Dialogum; quo talia hujus rei specimina edidit, qualia expectanda omnino a præclaro scribendi artifice essent, quam primum ad hoc quoque genus ornandum, decus ingenii & flumen conferret. Enimvero in tanto omnium ad eum laudandum consensu, ni temeræ nos quis accuset audaciæ, ingenii acumini expro-mendo nimis forte indulgisse eum etiam philosophantem dixerim, in cujus tamen ornatu & nitore, modum hic esse debere, arctis sæpe limitibus circumseptum, satis evictum dedimus (*k*). Non inferior, ut nobis videtur, huic, nec ulli fere secundus, habendus est Celeberrimus DE PLUCHE; cujus Dialogi, (*Spectacle de la Nature* dicti), quibus naturam scrutatur, adeo nobis rerum usu delectantes, adeo ordine ac habitu ad naturæ rationem compositi, adeo ornatu simplices, & dicendi elegantia politi videntur, ut nihil vel intellectu facilius, vel studio curiosius esse possit (*l*). Universæ quidem his Dialogis,

Hi-

(*k*). Cfr. supra §. IV. p. 19. 20. Cfr. p. 14. 17. 18. -- Omne autem ingenii studium nequaquam licet abjicere. Svavi e contrario sensu animos afficit, ut in vita, ita in scriptis, prudens ejus & moderatus usus. Cfr. HUME l. c. p. 160. Sed perpetuo venari, neque probabile est, neque gratum legentibus. Qui indolem mentis humanæ vel parum cognoverit, ingenii ejusmodi lusus, eo sane facilius satietatem gignere atque fastidium, quo exquisitior sit, quam pariant, svavitas, nullo negotio intelligit. Cfr. HUME l. c. p. 162. seqq. atque imprimis CICERO *de Oratore* L. III. c. 25.

(*l*). Si fieri id unquam possit, ut & rudiores erudire & doctioribus placere quis possit, id his Dialogis effectum esse videtur; in quo summam artis laudem consistere existimandum est. Quare recte omnino ipse, & pueris se profuturum, & uberioris etiam frugis sua opera futura sperat, in *præfatione* Tomo I. præmissa. Quamvis itaque personarum aliæque facere videantur rationes, ut ad hoc, quod tetigimus, genus, elegantis ingenii factus referri debeat, lubentes tamen fatemur,



Historiæ Naturalis præcepta enucleare instituit, vitans maxime humanam attingentia, sed vitat, (quod ipse operis sui indicat consilium (m)), systematicum ordinem, datis tantum quasi occasionibus, hanc vel illam ejus particulam, scrutinio convivarum subjiciens, ut, terminorum etiam apparatu sollicitè summoro, ipse adeo, in scientia quadam aut arte perscrutanda te versari, vix sentias. Opitulatur ei rei initia rerum tractandarum aptissima, indicatæ ipsis colloquentium sermonibus instituti colloquii causæ & occasiones, alieniores interdum a materiei propositæ nexu, sed jucundiores, aptissime res insertæ, morumque in his etiam & naturæ scita pictura (n). Qui duo scriptores licet popularem suum BOUHOURSUM superent, neque tamen hic merita laude est defraudandus, qui sparsa quatuor Dialogis, (*La maniere de bien penser, dans les Ouvrages d'Esprit*), in unum coëgit, cogitandi bene & dicendi præcepta, ita quidem proposita, ut alieniores etiam a subtilioribus litteris, cultioris modo sint ingenii, homines, inutilem iis minime operam conferrent, eo imprimis nomine vehementer commendandis, quod perpoliendo in lectore elegantia gustu, ad ea monumenta, quæ Hellados olim & Latii in-

D 3

ge

nullum fere esse posse vel ætatis vel conditionis genus, a sensu modo venusti si non abhorreat, cui pulchra adeo, simplexque ratio non placeat. Cfr. BOUHOURS, *Entret. d' Aristote & d' Eugene, IV. Entret. Le bel Esprit.* p. 293. sq.

(m). In præf. ad T. I. p. 6.

(n). Cfr. dicta supr. §. IV. p. 15. etiam not. (b) Videant qui de eo judicare cupiant, Tomi I. Dialogum II. (non enim opus est e longinquo exempla petere), ubi præclara arte partes cuius sunt demandatæ; (in primo forte Dialogo inutilis te persona offendat). Quo plures colloquentes sinit personas, eo clarius ingenii in eo ubertas & elegantia elucet; ut ex. g. T. I. *Entretien* I. II. X. XII. T. II. *Ent.* XIII. &c. videre est. In una re omnes versantur; negotii tamen aliquid cuius est commissum, ut claudicare sermo videatur, si quæ dixerit quis, aliquando tollas.

genia considerunt, viam quasi pandant. CICERONIS hunc vestigia pressisse, facile cuiusvis obvium est consideranti, sed dolendum est, in vitia quoque ejus illum, virtutes sectantem esse delapsam. Spectatorem ipse vel notatorem quasi quendam, narratoremque colloqui agit, & nonnisi duas spectandas sistit personas; quæ res & vividitati nonnihil officiant, & molestant quandam gignunt uniformitatem. Res ab eo plurimas dextre & ad vulgarem sensum apte proponi, & dedimus jam, & indubium est; sed sunt & in rebus subtiliora multa, neque est in eo dulce istud, & profluens dicendi genus, quod laudatis supra Dialogis tantam commendationem addit (o). Adjungimus his, sex ejusdem Auctoris Dialogos, *Les Entretiens D' Ariste & d' Eugene*, quibus variæ materiæ examinantur. Quibus quamvis ingenii nomen, multamque præterea laudem nequaquam detrahimus, diffidendum tamen non est, vividis satis & egregie instructi Dialogi, non ubique vestigia apparere (p); inopes quidem rerum censendi non sunt, sed vagum est aliquod, solum, nec ad unum finem satis compositum genus: scribendi genus habent non infacetum, sed affectati acuminis (q), quo exaggerata multa & dubia, quin &

(o). Hujus morem, quem interdum fida expressit opera, imitatus est *Ampliff. SAHLSTEDT*, nostras, Dialogis ejusdem fere indolis concinnandis, (*Om Tankar*, ita vocat ipse, i *Witterhets Arbeten*, Stock 1756. 8:o); ubi quæ tum edita erant, in nostra gente ingenii opera, censura perstringit; in quibus autem, quoad artem Dialogicam, quæ laudanda sint, quæve vituperanda, ex diis posse quodammodo intelligi arbitror.

(p). Vid. e. g. I. *Entr. La Mer*, p. 14. -- 31. Quam pulchra hic fuisset, plures in scenam disputantes proferendi occasio! Quam languida e contrario est, in uno, diversarum de fluxu & refluxu maris, opinionum enumeratio!

(q). Vid. I. f. c. p. 23. 36; II. *Entr. La Langue Francoise* p. 64.



& oppido quædam falsa ornare scriptor studet (r). — Bre-
vissimum tandem addimus, ex nostratum opusculis, sed
non inconcinnum, qui Holmiæ ante medium sæculi hu-
jus in publicum prodiit, Dialogistico more, hoc procul
dubio homines politiores docendi consilio, adornatum libel-
lum, (*Samtal emellan en Herre och en Fru, om Geometriens
nyttu*); in quo, si linguæ modo nonnunquam quasi vetu-
stiori & comitæ minus indoli des veniam, ratiocinia re-
peries apta, ordinem ipsum & formam concinnam, ser-
monem denique ornatum simplicem. Sed non permittit
paginarum angustia, ut plura exempla accumularem.

§. VII.

Instituendæ quidem Dialogorum more plebeculæ,
pauca habemus, nec ea magna omnino laude digna spe-
ci-

65. 74. 75. 78. 81. 82. 83. 89. 96. 100. 101. 102. 103. 105. &c. IV.
Entr. Le bel Esprit, p. 279. seqq. 286. sq. 290. 291. 292. & quamque
fere operis paginam. Si in FONTENELLIO etiam immoderatus acu-
minum vituperatur audium, eo sane in hoc displicere magis debent,
quo sit ingenio illi inferior. Cfr. etiam quæ ipse recte omnino do-
cet, l. n. c. p. 294. seqq. *mon Dieu!* inquit ex. gr. Eugenius, *que vous
me faites de plaisir, d' exclure du nombre des beaux esprits ces diseurs
eternels de beaux mots & de belles sentences, ces copistes & ces singes
de Senèque, ces Mancini, ces Malvezzi, & ces Loredans, qui courent
toujours après les brillans & les vivezze d' ingegno - - - & j'ay
bien de la peine à souffrir Senèque luy mesme avec ses pointes & ses
antitheses perpetuelles.* Egregie etiam Aristus, paucis interpositis, *c'
est à mon avis, ait, un plus grand défaut, de briller trop, que de ne
briller pas assez.*

(r). Vid. e. gr. l. f. c. p. 31. 51 -- 53. Multa per omnem, quem
citavimus, illum Dialogum, de lingua Gallica, in cujus laudem vehe-
menter excurrit, inepta adferre videtur Eugenius. Neque ferri omni-
no potest, quod primas, linguæ suæ patriæ, ne Græca quidem aut La-
tina excepta, plus simplici vice tribuat. Ibid. p. 62. 65. 71. 76. 84.
86. 80. 91. 92. seqq. 153. sqq.



cimina (a); sed indignum profus, in quod concinnandum ingenii opes vimque homines eruditi conferant, eo minus hoc genus judicandum est, quo magis evictum esse speramus, ad *populum etiam rudiorem* feliciter docendum, hanc eandem Dialogorum formam utilissime adhiberi. Unde Dialogi genus exoritur, alteri quidem isti, de quo nuper disputavimus, cultioribus hominibus destinato, limitibus finitimum, legibusque in genere iisdem subjectum, sed & diversum rebus nonnullis, & quoad formam paulo aliter adornatum. Quæ itaque de cavendis quæstionibus subtilioribus, quibus acutè solvendis & explicandis, intelligendi solum facultas alitur, evitandoque systematici ordinis apparatu, de sectanda e contrario facili disputandi ratione, de speculioribus imprimis & angustioris ambitus materiis enucleandis (b), de utilissimis, & ubi fieri id possit, jucundis rebus commendandis, inculcandis & copiose explicandis, differuimus, si in elegantioribus etiam hominibus instruendis, ad intelligentiam juvandam, apprime sint necessaria, eo in rudis populi institutione, majus etiam habent pondus atque momentum. Ornandi autem simplicitas & vera pulcritudo, ut plebem minus capit,
ap-

(a). Sunt tamen nonnulla. Inter ea quæ a nostratibus edita reperiuntur, exempli loco nominasse sufficiat, confectum a summo nostro Mechanico, *Nobiliss. CHRISTOPH. POLHEM* libellum, (*Samtal emellan en Swår-moder och Son-hustru, om allehanda Gushålds Sörvåttningar*), ubi non incongrua disputatione, Decem Dialogis, varia consilia æconomica vulgo exhibere satagit.

(b). In populo docendo præsertim ruidiori, summa lex est, ut & brevissimi sint eorum, qui dicunt, sermones, & in particulas, veritates quoque ipsæ instillandæ, secatæ, modo hac modo illa rei parte considerata. Frustra enim, ut omnem veritatum catenam & ambitum plebs capiat, aut ad instructam satis & plenam disciplinæ ejusdam peritiam pertingat, expectatur.



apparatu atque nitore rudioribus ingenii potius neciva, ita inepto consilio, rebus lucide vivideque proponendis, aut morum humanorum effigiei dextre pingenda, quibus rebus in altero isto, quod diximus, genere elegantia decus quaeritur, praecipuam, qui in his hominibus docendis versantur, curam operamque dabunt. *Szili* igitur summa hic commendatur facilitas atque orationis simplicissimus habitus, quin verba etiam & sententiae ex plebis usu depromtae; in qua autem naturae pictura, quicquid est in eorum consuetudine, plebejura nimis, abjectum & agreste, sordesque omnes esse vitandas, ut in re adeo clara moneamus, vix esse videtur opus (c). Quo porro facilius intelligitur, in *ideis* quoque & *rationibus*, quae minus ab hoc, quam in elegantiori illo genere, sint subtilia, quae magis vulgaria, quae sensibus accommodata, quae apertissima, ea summa cura esse quaerenda ac idoneis exemplis illustranda. Quare, in summam omnia ut contraham, quo magis in omni Dialogi hujus ratione atque structura, ad consuetum plebi cogitandi & dicendi morem se demittere, tardius quod in ea est iudicium sublevaturi, scriptores valeant, eo plus ex praestito egregie officio laudis iis cedet. At haec omnes virtutes, cum in simplicissima facilitate sitae sint, facilis quidem admodum videri poterit haec ratio existimanti, nihil autem erit experiendi minus; quippe quae tenue istud in scribentibus postulat, inter turgidum & humile, medium quasi scriptionis genus, (ac simplicio rem rationem, quam qua ceteris Dialogi generibus factum est fati), quod HORATIO iudice (d), difficillimi usus est habendum; ne id dicam, fingendi tamen & imitandi,

E

mo-

(c). Cfr. dicta supra p. 19.

(d). Cfr. *Art. Poët.* v. 26 -- 28. 229. 230. 240. seqq.



morumque pingendorum laudem, rudiorum etiam populorum, sensu quodam recti iudicare, neque ea ei unquam, ubi ista defuerit, arridere (e).

§. VIII.

Quod vero *doctiorum*, (qui exercitatis satis ingenii gaudent, ac litteris data opera colendis se dicant), vel sciendi aviditati, vel ratiocinandi acumini minus accommodatum esse Dialogum, ad iuvandam precipue populi imbecillitatem inventum, iure nobis negasse videmur (a), eo nequaquam valet, ut incidere nulpium tempora putemus, ubi multiplex ex scito eius usu ad litteras etiam severiores fructus redundet. Quemadmodum enim falso, aut acutiores homines a sensu pulchri sive sive esse alienos, aut omne Dialogum tollere, quod ii postulant, argumentandi robur, docetur (b); ita etiam evictum est, earum quoque rerum, quæ ad eruditos pertinent, non levem numerum ejus esse indolis, ut Dialogistico more, aptissime vindicari, refelli, atque ab omni parte examinari queant. In obscurioribus ex. gr. iisque potissimum rebus ponderandis, quæ ad liquidum, veritatisque similitu-

(e). Repeti quoque hic possunt dict. sup. §. III. p. 9.

(a). Vid. sup. p. 4. 5. 7. 8.

(b). Dici vix potest, quam commodus interdum sit, & quantam in argumentando vim habeat Dialogus. Fieri facile nequit, ut in contundendis dubiis, Dialogistica forma commode spernatur: quare etiam, alio licet dicendi genere usos, in ancipiti disputandi pugna, scriptores ad Dialogum confugere videmus. In exemplis ejus rei fere innumeris, vide v. g. III. MICHAËLIS librum, *Lehre der Heil. Schrift von Sünde und Genugth.* §. 7. p. 31 — 37. In omni autem hoc libro, ut nova quædam & non probata vulgo proponuntur, ita à Methodo nostra non fore multum, variis in locis, abluat disputatio.

litudinem perducī difficilīus possunt, egregiam hęc via vim habet, stantes ab utraq̃ parte rationes vibrandi & inter se contendendi, præclara facultate scriptori subministranda: quare etiā in libris nonnullis, (in quibus philosophicā tractationem instruit), Dialogi morem vel ideo adoptassē CICERONEM videmus, quod scepticæ suæ rationi egregie adeo eum favere cerneret. Ubi vero etiā, post accuratum examen, veritas plene indagari potest, tamen & ad naturæ rationem fidemque propensior, & gratior, quin brevior etiā interdum est, colloquiis instituendis, variarum & discrepantium sententiarum peracta accurata consideratio (c), quam si diversas scriptori personas induere, sentiendique inire rationes, necesse fuerit. Nova deinde alii, alii vetusta temere amant, auctoritate fulti coeca varias res nonnulli defendunt, quodque præjudicatis adeo opinionibus sibi persvasum habent, id ne scrutinio quidem submittere dignantur; quibus erroribus denudandis, odiosisque præterea omnibus rebus explicandis, vel ideo ratio nostra convenit, quod adverso, (quod ajunt), pectore, hominum opiniones non adoriatur, sed tectius quasi & per cuniculos iisdem insidietur, donec angustiis illi conclusi, ipsis sibi detectos errores debere videantur; quæ ratio insignem habet commendationem & vim, præsertim in scriptore non satis gravi, inveteratas atque auctoritate munitas opiniones debellaturo. Quo etiā magis periculi, ut in re fere omni maxime beata, in Dialogo esse solet, quoties callida sua jucunditate in veritatis perniciem abuti quis instituerit. Apto præterea, eleganti & hilari sermone, in eruditorum quoque usum, ejusmodi

E 2

præ-

(c). Etenim ambagibus, quas molestius in Dialogo ferre videantur doctiores, in dubiis rebus examinandis licet supersedere.

præcepta proponi possunt, quæ ad vitæ potissimum demonstrandam viam pertinent, (præcticas vulgo nuncupant res), ac quæ a serie artium universa commode segregari possunt. Ex quibus rebus intelligi potest, quis esse debeat in Dialogo lepos, quum & hoc maxime quidem austerum ejus genus, ad delectandum tamen valeat. Qua tamen re, (de ipso scriptoris consilio ut nihil jam dicam), a ceteris Dialogi Philosophici generibus illud discrepare, facile largietur, qui MENDELSONII ex. gr. viderit gravem rationem, & nescio quam festinationem, a PLUCHII, aliorumque copia diversam. Etenim in his hominibus docendis, ad legendum paratis ac instructis, cum vel ad attentionem interspersis jucundis rebus acutandam, vel intelligendi difficultatem sublevandam, placendi istis artibus opus non sit; quæ sensibus blandiantur, quæque ornatum gignant, minus sunt necessaria, neque interest, ut in particulas distincta veritas, guttatim quasi, (ut in plebe puerisque erudiendis), instilletur, argumentisque contra & ratiociniis, brevitate, pondere, stringendi vi insignibus, atque ordini præterea, a systematica ratione distanti minus, locus est. Ubi tamen summo opere cavendi sunt, qui neglectis penitus dramatis & Dialogi universis præceptis, exsanguis oriuntur, aridi, longi nimis sermones, vel ideo ingratiissimi, (ferri alias possunt, quamvis nunquam placeant) quod genus adhibitum sit, ad delectandum præcipue comparatum (d). Sequitur hinc, ut in hoc quoque Dialogo, certamina inter plures in scenam prolatas personas, ætate, moribus, opinionibus, diversas, institui debeant; a quarum disputationibus, omnis quidem abesse debet arrogantia, pro-

ter-

(d). Valent fere hic etiam, quæ egregie differit HORATIUS, *Art. Poët.* v. 372 -- 378.



tervia, astus, & animorum imprimis conturbatio (e), sed undique etiam curate definitam materiem considerent necesse est, deliberent, dent, acriter urgeant, cedant rationibus persuasi: ex quibus rebus præclara arte constitutis, dramatis ac vitæ quasi imaginem, & in hoc ipsum Dialogi genus transferri posse, quis est qui non videat? Neque parum illud ornat, ingenii acuminisque sapiens tamen & severum studium, cui hic, quam in ullo fere Dialogo, docendi saltim consilio concinnato, magis indulgere licet. — Horum autem Dialogorum, qui in solidioribus rebus tractandis versantur, duo potissimum sibi species posse videntur. Aut enim inter *æquales homines*, quorum eadem fere est, in re considerata auctoritas eademque partes, instituere licet *colloquium*; cuius instituti in eo decus consistit, si usitatam in eruditorum congressibus consuetudinem, dextre scriptor pingere valeat; atque hæc ratio, ob differentium numerum, dramatici generis plus admittit, ac ad veram Dialogi indolem propius accedit; aut *collegii*, quod appellare solemus, cuiusdam effingi potest similitudo, ubi doctorem aliquis agit, discipulos, provectioris quidem ætatis, sed audiendi tamen avidos, sedulo instituentem; quod a Dialogo genus, eo erit remotius, quo finat discentium persona minus, ut doctoris abruptant, quærendo aut obijciendo, orationem. In docentis hic persona omnia esse, facili negotio intelligitur; cuius tamen si continui & non interrupti sermones sunt, fieri sane nequit, quin universa fere Dialogi vis & vita pereat. Quare qui, quæ dicenda sibi sint, diligenter viderit, non poterit non, quam in hac etiam ratione vim generalia Dialogi præcepta sapienter observata habeant, considerare. Dicendum

E 3

dum

(e). Cfr. HUME, l. c. p. 161. seqq.



dum videlicet præcipue doctori est, discipulis præcepta sua dociliter exaudientibus; sed dubitare tamen hi interdum debent, quærere, curatius sententiam præceptoris peruestigare, assentiri & probare, nonnunquam etiam, pro suo quisque ingenio ac judicio, pauca disserere, quæstiones sibi propositas soluturi, aut alia quacunque occasione usi oblata; qua arte effici potest, ut hoc quoque genus, Dialogo illi superiori evadat non prorsus ab- simile, ubertate imprimis & copia præstanti; quamvis fateri oporteat, natura sua severius esse, & a vivida illius jucunditate abhorreere, rerum licet omnino plenius tractandarum felicior in eo sit facultas. Neque tamen sperandum est, vel ipsius ope, integræ cujusvis artis præcepta, systematico ordine justaque serie commode tradenda, felicissime hauriri posse. Materix contra, ut facile ex dictis cogitur, etiam huic Dialogo aptius conveniunt arctioris ambitus, eæque imprimis, quæ faciliorem in utramque partem admittant disputationem. — Aut ignotum vero, aut intentatum antiquiori ævo hoc genus fuisse, eo minus existimandum est, quo sint PLATONIS, XENOPHONTISQUE exculti ejus specimina præstantiora, in acutiorum hominum, ut nobis videtur, præcipue usum confecta. Jucunda persæpe, vivida, & a populi cultioris sensu non omnino aliena, ut illius sunt colloquia (f), quæ in rebus etiam fere sub-
tili-

(f). Rara ejus rei in operibus suis non sunt exempla. Molestiori in iis quoque interdum utitur narrandi colloquii methodo, quam tamen minus commodam esse & ipse fateretur, in *Theatelo* Opp. T. I. p. 143. Quæ in hoc Dialogo nonnullisque aliis locis, in XENOPHONTIS etiam scriptis obvia, (v. e. g. *Oeconom.* C. VII. seqq.) adhibita est methodus, qua personarum aliquis, instituti alius cujusvis colloquii rationem reddit, ea, ubi longior imprimis est narratio, ad fidem

tibus acute extricandis versantur (g); ita in hoc, materia a
 vita, magnam partem, usu indoctorumque judicio re-
 mota minus, languidiori & non satis incitato ubique
 dicendi genere, explicata videntur (h). Pergrata eminet
 uterque ac facili dicendi suavitate. Versutum, Socrati-
 cae illi rationi non abfimile, amant disputandi genus;
 cujus licet egregius nonnunquam usus sit (i), tædii ta-
 men aliquid & acutæ subtilitatis interdum habet (k), ex-
 ercitiatoris quidem ingenii hominibus non mole-
 stæ. Longiores sæpius occurrunt sermones; qui tamen,
 (tanta enim non raro est Dialogi instruendi ars), neque
 a SOCRATIS dissidentis persona, neque a naturæ verita-
 te abhorrere intelligenti lectori videntur (l). Cedat li-
 cet

latis non est apta, neque nisi temporis id ratio permittat, (v. ex. gr.
Phædo), probari potest.

(g). Pertinent ad eruditos docendos quibus, systemate fere quo-
 dam simul constructo, penitus rerum indolem investigat, Dialogi,
 ut *de Republica* & *de Legibus*. Sed in sejunctis quoque & sparsis ve-
 ritatibus examinandis, partim rebus delectatur subtilibus, (v. e. g.
Timæus, *Phædrus* &c.) partim acutam quandam amat rationem, mi-
 nus doctorum ingenii non omnino accommodatam.

(h). Exemplo esse potest omnis fere *Oeconomicus*. Valet idem de
Memorabilium v. g. non contemnenda parte.

(i). V. e. g. PLATO, in *Protagora*, Opp. T. I. p. 328. seqq.
 (Ed. Serrani). in *Hippia* & *Menone* passim, in *Lachete*, l. c. T. II.
 p. 189. seqq. &c. XENOPHON, *Memorab.* v. g. L. I. C. IV. VI. L.
 II. C. II. L. III. C. VI. VII. XI. &c.

(k). V. e. g. XENOPHON, *Memorab.* L. II. C. I. §. 1 -- 7. C.
 VI. L. III. C. VIII. L. IV. C. II. §. 8 -- 39. C. V. VI. cet. & PLATO,
Alcibiades passim. *Parmenides*, l. c. T. III. p. 137. seqq.

(l). V. e. g. XENOPHON, *Oeconom.* C. VII. §. 9 seqq. *ibid.* C. VIII.
 X. &c. *Memorab.* L. IV. C. II. §. 1 -- 7. &c. atque PLATO, in *Prota-
 gora* l. c. p. 320. seqq. in *Menexeno*, l. c. T. II. p. 236. seqq. in
Phædone passim. &c.

cet his Dialogi construendi laude CICERO, ejus tamen prætereunda minime nobis videtur neque in hoc genere poliendo, industria, quæ, ut nullam pene dicendi bonasque artes tradendi viam intactam intentatamque reliquit, ita in absconditis quoque & subtilioribus rebus, hominibus acutioribus atque non indoctis, proponendis, egregie versata est (m); in quibus scriptis, dissertationes longiores, & minus interdum vividam Dialogi rationem, tanto ingenio condonare fas est. Inter recentiores Philosophos, PLATONIS laudem æmulatus est, cujus gravem nuper jacturam litteræ fecerunt, MOSES MENDELSONIUS, *Phædone* suo concionando (n); in quo quæ probabilia minus vel grata dici poterint, illius partim imitationi, partim argumenti ipsius subtilitati, tribuenda videntur. Quatuor præterea aliis Dialogis, operibus suis philosophicis intextus (o), acute, graviter, eruditorum ingeniis apte, sed vivide tamen satis, hujus rationis bene instituendæ exemplar proposuit. HUMIUS autem, celebre multis nominibus ingenium, in quibus libris, in artibus aut philosophandi via versatur, ut paradoxis rebus

ve-

(m). Hujus generis sunt *Academica Questiones*, atque *de Oratore*, *de Natura Deorum*, *de Divinatione*, *de Fato*, (*de Legibus* quoad aliquam sui partem), libri, (quippe qui in abilitis & subtilioribus, systematica magis ratione, rebus explicandis versantur), & omnium maxime *de Finibus Bonorum & Malorum*, libri; in quibus de causis, quæ ad agendum nos impellant, *Principium dicunt Moralitatis*, (de qua re adhuc hodie quaeritur), æquales suos nonnullos, subtili & accurata oratione disceptantes inducens, eruditionis præcipue apparatus ostentat.

(n). Qui egregius liber, (*Phædon*, oder über die Unsterblichkeit der Seele) in Gallicum etiam sermonem versus, omnibus est notissimus.

(o). Vide MOSES MENDELSONIUS *Philosophische Schriften*, *Gespräche*, Part. I. p. 199 -- 278.



vehementer indulget, ita vaga quadam, acuta, callida, multiplici, ac sæpe infidiola, neque adeo a Dialogo valde discrepanti ratione utitur; in quo contexendo, non mediocrem ejus fuisse vim vel unum, quo causæ, cur eadem variis gentibus turpia atque honesta non habeantur, cum tamen ex universa quadam lege ejus rei ratio judicanda esse videatur, pervestigantur, Dialogus testatur, elegantia ac subtilitate non minus, quam scepticæ rationis immoderato insignis amore (p).

§. IX.

Pueris porro, qui ad discendi primum studium accedunt, vividiori Dialogi suavitate allectis, gustum quasi atque prima artium elementa feliciter instillari indigimus (a); de quibus itaque hoc more docendis, superest ut paucis jam differendum esse videatur. In qua ratione, ad eximiam laudem qua via pertingi possit, cum ex considerato eorum ingenio judicetur, ut quicquid apertum simplexque esse possit, in id maximopere nitendum sit, sequitur. Etenim ut est in pueris laudatissimæ etiam indolis, in perferendis animi laboribus summa levitas, attendendi judicandique vis admodum hebes & inconstans,

F

fen-

(p). Occurrit hic Dialogus I c. Vol. IV. Append. II. p. 223. seqq. Tit. *A Dialogue*. Quam commoda Dialogo, res dubias & odiosas explicandi facultas detur, vel suo hic exemplo docet, ad callidam ejus rationem non raro confugiens. Vid. v. gr. l. f. c. Vol. III. Section. IV. *Sceptical Doubts, concerning the Operations of the Understanding*, Part. II. fere universa. ibid. Sect. X. *of Miracles*, passim, ut ex. gr. P. II. p. 182. 184. 185. 194. ad finem usque Sect. (in quibus quanta est oppugnandæ Religionis calliditas!) Ibid. Sect. XI. *of a Particular Providence, and a Future State*; item Vol. IV. *An Enquiry concerning the Principles of Morals*. Sect. IX. *Conclusion of the Whole*. Part. I. p. 170. seqq. 181. seqq. P. II. p. 186. ad finem usque Sect. *The Natural History of Religion*, Sect. III. p. 271. Sect. XII. p. 313. seqq. ac multa alia loca. (a). Vide §. III. p. 10. seqq.



sensuum e contrario acre dominium, atque præclara, mobilior licet, novarum rerum investigandarum cupido; ita obscurius brevitate, longiori tractu tardum ac aridum eos docendi genus, quam sit ineptum, dici vix potest. Res iis potius conveniunt velut sensibus palpandæ, simplicissimæ, ipsaque adeo artium rudimenta, orationis præcipue genere incitanti quodam, jucundo, ubere, facili, explicata. Quare etiam merito reprehenduntur, qui animo quidem bono, sed infelici ut plurimum consilio, religionis sic morumque florem promoturi, abscondita eorum maxime ac subtilia præcepta puerulis obtrudunt incunabulis vix egressis. Æmulandi deinde studio, proximaque ei gloriæ cupiditate, vehementer pueros ad laboris industriam impelli, dudum sapientiores agnoverunt; quæ res quantum momentum pariat, vel in laudatis supra (b) & bene institutis D:næ DE BEAUMONT Dialogis videre licet, quos, dextre adumbrato discipularum in rebus examinandis certandi ardore incitati, pueri quoque cupide legunt. Neque narrationum jucunditate, sapienti omnino consilio hinc illinc interspersa, atque non ad juvandos modo, sed ad emendandos etiam animos comparata, (longiores quæ sunt interdum Fabulæ, *Contes*, minus tamen gratæ vel aptæ sunt), minorem laudem meruit. Cujus generis Dialogis condendis, ut puerorum quoque usui propius consulatur, optant sane, quotquot HUBNERIANORUM v. gr. pertæsi scriptorum, quæ tamen, & rebus & dicendi genere totoque habitu inconcinna, ad hunc fere diem tractandi necessitas, juventuti nostræ haud raro incubuit, incommoda inde nata consideraverint. Quas vero scite constitutas, in D:næ DE BEAUMONT istis operibus, reperimus pueris placendi artes,
ad

(b). §. III. p. 12. not. (d).



ad laboris molestiam levandam, sensumque tædii profligandum inventas, neque dramatis omnino & agendi vividitati nullam partem debitas, eas utut operis hujus lex poscat; a scenæ tamen & dramatici generis mollitie, quibus pueri erudiendi sunt, recedere convenit; quippe cujus acute satis illi laudem non sentiunt, quaque potius, si apparatus fuerit aut mollior, a re ipsa consideranda distinentur eorum animi atque turbantur. Delectari quidem atque ipsis fere colloquiis interesse sibi videri debent; non vero jocandi tantum vel ludendi, sed discendi maxime, atque hujus vel illius potissimum rei explorandæ causâ, sese adhibitos intelligant (c): junctaque sic sollicitè *doctrinæ oblectatione*, quæ palmarium, docendi videlicet ingenii puerilis, consilium permittat, & quantum placendi studio dandum sit, qui scriptor viderit, is demum omni laude cumulatus censebitur. Memoriarum denique discipulorum variis artibus obstetricari, qui in viva eorum institutione versantur, solent, sæpius occasionibus oblati varia rerum momenta inculcantes. Quare in Dialogo etiam, præsentibus condiscipulis, si quæ didicerint apte repetendo enarrare colloquentium puerorum alii atque alii instituant, & qui legunt, curatius rerum partes perscrutari valebunt, & præceptor uberiores earum explicandarum occasionem habebit. Sic judiciis narrantium sermonibus sapienter interponendis, ipsi quoque pueri ad examinandi judicandique industriam diligenter sunt perducendi: quæ ratio ad praxin ipsam, (usumque sermonum pervestigandum) efficacior erit & jucundior, quam

F 2

fi

(c). Vide tradita supra §. IV. p. 17. 18. 19. Cfr. etiam p. 4. 5. 9. Quo tenera magis sit discendum ætas, quoque minus ad litteras data opera colendas animo ferantur, eo liberius ab hujus legis obsequio se eximere scriptori licere, atque delectationi dare operam, per se patet. Cfr. supra p. 8. ibid. not. (a).

si omnem iis vel quærendi, vel dubitandi, vel aliquando differendi, demseris potestatem. Ex quibus rebus conficitur, ornandi quoque scitam artem & ingenii ubertatem egregie ad pueros docendos valere; quod brevitatem, cujus sapius in superioribus mentionem fecimus, acutis hominibus propriam, non possint non hi gravius ferre: ubi tamen non profusa modo dicendi luxuries, veræ varietati inimica, sed instructior etiam materiæ cujusvis penitus enodandæ copia, diligenti cura vitandæ sunt, tum differendi vicibus, tum rerum explicandarum negotio, ut ad alias semper atque alias personas, sic ad varias quoque cognatas, sibi que invicem luce fundenda opem ferentes, rei partes probabiliter delatis. Dialogos tamen omnes, qui pueris utili rerum optimarum cognitione imbuendis inserviunt, non uni reddi formæ volumus, sed ut eorum qui aut scribunt aut legunt, temporumque rationem variam esse considerandam, sic v. c. nunc patris aliusve doctoris, (cujus tot esse possunt species & dicendi methodi), personam fingi, nunc examinis cujusdam speciem adumbrari, aut colloquii adeo inter pueros instituti imaginem recte depingi autumamus. Quorum autem omnium generum, cum ex communibus Dialogi hujus fontibus, laus atque vis petatur, ea singula exponere operæ pretium non judicamus, eandem ubique secuti legem, ut summis modo rerum leviter attactis, judicio cetera ac solerti doctorum curæ peragenda relinqueremus, diligentiori etiam præceptione longius a proposito trahente.

§. X.

Catechesum primum exemplari effingendo, eum licet potissimum finem intendisse repurgatæ Religionis auctorem sciamus, ut doctorum incitiam sublevaturus, for-



formam sifteret & speciem quasi, ad quam rudiores homines, quid ex viva institutione hauserint, illi explorarent; factum tamen mox est, ut ad juventutem quoque sanctissimæ Religionis præceptis imbuendam, ejusdem formæ adhibendæ per universum Christianum orbem mos invalesceret: quales itaque libellos, ad idem hoc, quod loquimur, Dialogorum genus quodammodo pertinere, haud difficulter patet. In quibus igitur egregie constituendis, eadem in universum, mutatis modo mutandis, valere præcepta, quæ ad populum, puerosque imprimis feliciter docendos ubique faciunt, perspicuum est; stilumque præsertim & dicendi genus, ad eam prudenter rationem esse conformandum, quam in plebem utilissima doctrina instruendam, maximam frugem fundere indicavimus. Quare commodæ ex. gr. minus, ex servili sermonis biblici imitatione enatæ, ac a nostro dicendi usu non parum sæpenumero remotæ scribendi formæ, sedulo fugiendum est studium; atque in formam quoque ipsam sic instruendam, ut longiores & diffusæ disputationes, instructior quævis ratio, omniaque in universum ea, quæ plebem puerosque aut onerant aut conturbant, diligenter evitentur, omnes prudens scriptor intendat fœcundi & exculti ingenii nervos. Quemadmodum itaque stimulorum in rebus explicandis rudiorum hominum ingenia auxiliique egent, ita apta satis nobis videtur, prout egregie nonnulli præcipiunt, ea methodus, ut patris in his quoque libris, doctorisve cujusdam, prudenter discipulos instituentis, & variis artibus ad pervestigandum impellentis, scite species adumbretur: atque ex derivato sic in quamque Dialogi personam dicendi officio, quot in res propius examinandas, quæque in Dialogum etiam velut spiritu animandum, commoda redundant, qui vel dicta supra perpenderit, nullo negotio videbit. Quare

colloquia etiam, seria quidem illa, sed probabilia, atque huic accommodata consilio, quominus in illis institui recte possint, quæ res impediunt, equidem non video. Quamvis enim vel quod rebus ipsis inest pondus, atque ad studium mentesque acuendas, vis, efficiat, ut neque ornatu neque delectatio his libris, sed facillima institutio, quæri debeat, abs re tamen non est, salva modo id fieri possit operis hac lege, ut facili magis & grato habitu vestiantur, quemadmodum ineptam rationem, molestiam gignere & tedium, indubium esse videtur. Ad examinis autem formulam, quoties iis utimur, minus omnino offendit quærendi negotium doctori perpetuo delatum, ad respondendum tantum discipulis obstrictis; modo brevissima partim sint, quæ vel a quærentibus vel a respondentibus dicantur, partim pluribus eorum classibus condendis caveatur, ne eadem, quibus maturiores quoque satis sibi fecisse existimantur, tractare mox cogantur illi, qui ad degustanda prima Religionis elementa animum adpellunt. Præcipua imprimis Catecheticis libellis proponenda inculcandaque esse, ac ad bene vivendum proxime pertinentia, religionis capita, gravissimi momenti lex est, eo potissimum ordine enucleata, ut præteritis subtilioribus quæstionibus, atque eruditorum studio relinquendis, ad intelligendi non minus facultatem, fidemque adeo Religioni præstandam, quam ad animorum cupidines flectendas, ac virtutis amorem excitandum, fortissimam vim exercent. Quæ vero in hoc genere præcipue virtutes spectentur, in quantum in libellis ad hunc apud nos usum vulgo destinatis plerisque adsint, jam non judicamus. Cujusvis certe non esse, hujusmodi libros concinnare, (quorum tamen consarcinandorum levissimam esse & artem & operam, multi existimare videntur),



tur), qui rem accuratius pensitaverit, facile intelliget. Et rerum enim tradendarum delectum, ac methodi stili- que rationem, & linguæ cum puritate conjunctam summam popularitatem, prudens & sollicitum poscere judicium, nemo sapiens non largietur. Fatebitur itidem, non optime cum juventute agi, si aut in litteris aut in religionis præceptis hauriendis versata, rebus nec intellectu perceptis, nec ad animum pertinentibus oneretur, memoriaque moleste vexata, psittacorum instar poscentibus doctoribus formulas quasdam recitet inanes, sive horum imperitiæ ac socordiæ, sive librorum ipsorum, quos terunt, aptæ minus indoli ejus rei culpa tribuenda sit. Cui tamen malo & cito nec incuriose curando, quin ut auxiliatrices prudenter manus porrigantur, sensim futurum sit, non dubitamus.



(1) The first section of the Act provides that the
 Government may, by order, direct that any person
 who is a member of a society or association of persons
 which is engaged in the business of collecting or
 distributing money or property for the benefit of
 any person or persons, shall be liable to be
 investigated by a committee appointed by the
 Government. The committee may, in its report,
 recommend that any person who is a member of
 such a society or association should be liable to
 be investigated by a committee appointed by the
 Government. The Government may, by order,
 direct that any person who is a member of a
 society or association of persons which is engaged
 in the business of collecting or distributing money
 or property for the benefit of any person or
 persons, shall be liable to be investigated by a
 committee appointed by the Government. The
 committee may, in its report, recommend that any
 person who is a member of such a society or
 association should be liable to be investigated
 by a committee appointed by the Government.



The second section of the Act provides that the
 Government may, by order, direct that any person
 who is a member of a society or association of persons
 which is engaged in the business of collecting or
 distributing money or property for the benefit of
 any person or persons, shall be liable to be
 investigated by a committee appointed by the
 Government. The committee may, in its report,
 recommend that any person who is a member of
 such a society or association should be liable to
 be investigated by a committee appointed by the
 Government. The Government may, by order,
 direct that any person who is a member of a
 society or association of persons which is engaged
 in the business of collecting or distributing money
 or property for the benefit of any person or
 persons, shall be liable to be investigated by a
 committee appointed by the Government. The
 committee may, in its report, recommend that any
 person who is a member of such a society or
 association should be liable to be investigated
 by a committee appointed by the Government.